

gorius VII Ottonem Ostiensem in Germaniam miserat, subrogatus est Henricus Comes de Aslo, vir in clero probatus, multisque virtutibus conspicuus; ob quas etiam post Magdenburgensis Archiepiscopus est delectus; nec enim ultra Episcopatum quietè gerere licuit, quàm Hermannii Regis per Saxoniam res florere. At postquam Henricus Rex didicit Henricum Aslonem Paderbornensi Sedi impositum, ipse Henricum Comitem Werlensem obtrusit Episcopum, gravem Asloni æmulum, quocum luctandum fuit. Uterque illustris per Saxoniam familiæ erat. Nam Asloënsium Comitum in Ostfalia & Hildesienfi diœcesi clara, eademq; cum Wincenburgicorum; quemadmodum in Chronico Bremensi Hermannus Wincenburgicus & Henricus de Aslo Comites nominantur fratres. Vetustior etiam illustriorque Comitum Werlensium in Westfalia stirps, claraque ab Imperiali Werlensi urbe, cujus toties supra meminimus. Quanquam Kersbrochius hunc ex Comitum Waldecensium familia ortum velit, quòd Henrici hujus postremi insignia, quæ Paderbornæ in secretiori Cathedralis Ecclesiæ conclavi conspiciuntur, Waldecensium sint. Sed quoquo modo se habeant in utroque origines familiarum, causa Henrici Asloënsis melior fuit; quòd is cum Orthodoxis Episcopis Apostolicæ Sedi, & Ottoni Episcopo Ostiensi, quem Pontifex Legatum misit in Germaniam, conjunctiùs hæserit. Inde inter utrumque hunc Episcopum Paderbornensem Catholicum & Schismaticum, grave ad aliquot annos, cum magno Ecclesiæ Paderbornensis detrimento, ut Gobelinus noster scribit, certamen fuit. Et quantum ex illa temporum perturbatione & caligine rerum æstimare fas est, primis annis, dum sub Hermanno Rege res Saxonum prævalerent, Henricus Asloënsis in possessione Episcopatus mansit, donec per vim ab Henrico Rege dejiceretur. Interim Henricus Werlensis Schismaticus, ut aliorum Schismaticorum exemplo se in Episcopatu præmuniret, consecrationem maturavit, & hoc ipso statim anno est inunctus. Nam in literis, quas anno 1100 Cœnobio Helmwardeshusano consignatas proferemus, annum XVI ordinationis suæ scribit; quemadmodum & ab hoc anno 1084 ad annum 1127, quo obiit, Gobelinus noster XLIV annos ejus Episcopatus numerat, quibus eum huic Ecclesiæ præfuisse perhibet, primum omnino qui hanc Ecclesiam schismatis labe infecit. (Quo autem anno cum Pontifice Ecclesia reconciliata sit, tempore memorabitur) Contra Henricus Asloënsis, quòd minus certus esset, utrumne se contra Henrici Regis atque æmuli potentiam tueri posset in Episcopatu, consecrationem distulit: nec prius Episcopus est consecratus, quàm cum Magdenburgensis Archiepiscopus deligeretur, uti ad annum 1102 memorabitur.

Cui ab
Henrico
Imp. op-
ponitur
Henricus
II Comes
Werlen-
sis.
Gobelin, æ-
tat. 6. c. 55.
Cranz, ius
lib. 5. Me-
trop. c. 23.
Berthold. ad
annum
1084.

Annus Christi 1085.

liii

Gregorij